



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

11. Cognitio & amor pulchritudinis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

*charitatis, illecebrosam mundi despiciere, & nulla
ejus adversa formidare: nihil quæso sine Te
mibi dulcescat, nihil complaceat, nihil pre-
tiosum, nihil præter Te arrideat speciosum.
S. Aug. med. c. 7.*

*III. Absorbeat, Domine, mentem meam
ab omnibus, quæ sub celo sunt, ignita
& melliflua vis amoris tui; ut Tibi soli
inheream; solæque tuæ suavitatis memoriâ
pascar. S. Aug.*

*Deus dulcedo cordium!
In ore mel mirificum!
In corde nectar cœlicum!*

P A S S U S XI.

*Cognitio & Dilectio pulchri-
tudinis DEI.*

T E X T U S.

*Ecce Tu pulcher es, Dilecte mi,
& decorus. Cant. c. 1.*

Cognitio.

*I. E*cce tu pulcher es, Dilecte mi; es enim
pulchritudo infinita, omnem pulchri-
tudinem creatam & creabilem infinitè supe-
rans, & omnem eam quoque, quam ipsa
mens

mens divina extra Te concipere potest. Unde es infinitè amabilis & delectabilis, vi infinitâ mentes ad amorem Tuû pertrahendi præditus.

II. *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi*, quia vena & scaturigo es omnis decoris & pulchritudinis, quæ in Angelis, hominibus, cœlis, elementis, animalibus, plantis, gemmis & margaritis emicat.

III. *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi*, quia omnes pulchritudinis gradus eminentissimè, & perfectissimè in Te complecteris. 1. Est pulchritudo, quæ oculis corporeis cernitur, & hæc est, quam mortales tantopere mirantur & sequuntur. 2. Pulchritudo formarum internarum, ex qua exterior venustas promanat. 3. Animarum sensitivarum. 4. Animæ rationalis. 5. Angelorum, 6. Beatorum, Universi pulchritudinem longè superans. 7. Est pulchritudo divina, in qua omnis pulchritudo naturalis & supernaturalis, corporalis & spiritualis eminentissimè continetur. *Less. de Div. nom.*

Dilectio.

O bonum super omne bonum! ô pulchrum super omne pulchrum! Deus meus, à quo omnis decor & pulchritudo provenit: cur ego non ardentius amo Te, cum pulchritudinis umbra sic rapiat omnium corda ad se?

O Di-

O Dilecte mi speciosissime , ostende mihi faciem tuam , ut illa cor meum planè inescet , alliciat , atque ab omni venustate creata , quæ Tuî comparatione deformitas est , penitùs avellat !

O Dilecte mi , omnis pulchri & amabilis , omnis formæ & speciei , omnis ordinis & proportionis , omnis congruentiæ & concordia , omnis sympathiæ & antipathiæ fons & origo indeficiens , attrahe me , allice me ad unionem amoris perfecti , me Tibi conjunge , ut Te fruar , Te delecter , Te satier , in tempore & æternitate.

Aspirationes.

I. *Ostende mihi faciem tuam , sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Cant. 2.

II. *Serò Te amavi pulchritudo tam antiqua , pulchritudo tam nova , serò te amavi.* S. Aug. in soliloq.

III. *O pulchritudo increata , vilescat mihi omnis pulchritudo creata ! O pulchritudo infinita & vera , desipiat mihi pulchritudinis umbra.*

